

in carcere neglectum, hostilem induit animum, primum fratre Thoma Comite Wigorniæ & animoso filio Henrico cognomine *Whotspur*, cum copiis in ipsum clam submissis, qui ambo in prælio ad Salopiam peridere. Vnde proscriptus, verum brevi à Rege, cui terrori erat, quadam convenientia in gratiam receptus, & bonis restitutis omnibus, nisi Insula Mannia, quam Rex sibi retraxit. Paulo tamen post in novas cupiditates popularis & præceps ipse adscitis in belli societatem Scotis signa in Regem quasi usurpatorem sustulit, & ex improviso apud *Barham-moore*, à Th. *Rokeby* Vicecomite Eboracensi qui se objicit, tumultuaria pugna, anno M C C C V I I I, fuisse & occisus. Post annum undecimum Henricus *Percy* hujus ex filio Henrico *Whot-spur* nepos, (cui mater Elizabetha filia Edmundi de *Mortuomari* sen. Comitis Marchiæ ex Philippa filia Leonelli Ducis Clarentiæ) avitum honorem Parliamentaria authoritate ab Henrico Quinto recepit, qui dum Henrici Sexti partes contra Eboracenses obfirmate tueretur, in prælio apud S. *Albani Fanum* cecidit, uti filius ejus Henricus Tertius Northumbriæ Comes, qui duxit *Æleonoram* filiam Richardi Baronis *Poynings*, *Brian*, & *Fitz-Paine*, eadem causa in prælio ad *Towton* anno C I O C C C L X I. Iam Lancastrensi familia quasi deppressa, & *Perciorum* nomine simul concutato, Rex Edwardus Quartus Ioannem *Nevill* Dominum *Montis-Acuti* Comitem Northumbriæ constituit, sed ille post breve tempus hunc titulum regi in manus reddidit, & Marchionis *Montis-Acuti* accepit. Postea Henricus *Percy* Henrici illius, quem modo dixi, filius gratia Edwardi Quarti paternum adeptus est honorem, qui, Henrico Septimo regnante, à rusticis de pecunia Ordinum decreto imperata contra exactores tumultuantibus occisus. Huic successit Henricus *Percy* Comes quintus, cui è filia & cohærede Roberti *Spenser* & *Æleonoræ* filiæ & cohæredis iti-

Vide pag.  
340.

dem Edmundi de *Beaufort* Duci Somersetti Henricus Comes sextus natus; qui cum liberos haberet nullos, & Thomas frater ejus morte esset mulctatus, quod contra Regem Henricum Octavum in primo religionis discidio arma moverat; quasi jam de familia actum esset, magnam partem lauissimi patrimonii largitionibus in Regem & alios effudit. Paucis elapsis annis Ioannes *Dudley* Comes Warwici titulum Duci Nor-  
<sup>Dux Nor-</sup>  
thumbriæ occupavit, cum in tenella Edwardi thumbriæ.  
Sexti ætate, pro partium studiis, honorum titulos partium duces inter se sortirentur. Hic ille dux erat Northumbriæ qui aliquandiu patriæ turbo pacem publicam interturbavit, dum Mariam atque Elizabetham Henrici Octavi filias legitimo successionis jure excludere, Ianæque *Grey*, cui filium nuptiis conjunxerat, regnum aucupari prono juridicorum in rerum potitos favore, machinaretur. Vnde læsa Majestatis reus peractus capitis pœnam subiit, ad funestam securim, Pontificiam religionem, quam in rem suam diu antea serio, vel simulate projecterat, amplexus & publice professus. Eo sublato Thomam *Percy* Henrici Comitis Sexti è fratre Thoma nepotem Maria Regina natalibus restituit, primumque Baronem de *Percy*, & mox Comitem Northumbriæ sibi & heredibus masculis de corpore & pro defectu  
<sup>3. & 4. Ph.</sup>  
Henrico fratri & heredibus ejus masculis novo Diplomatice creavit. Verum hic Thomas Comes Se-  
<sup>& Maria.</sup>  
ptimus sua in Principem & patriam perfidia re-  
staurandæ Romanæ religionis velo obtecta vi-  
tam cum dignitate anno M D L X X I I amisit. Sin-  
gulari tamen Reginæ Elizabethæ benignitate ex illo Mariæ Diplomatice Henricus ejus frater Comes Octavus successit, qui in carcere anno  
M D L X X V vitam terminavit, filiumque Hen-  
ricum è Katharina filia primogenita & una hæ-  
redum I. *Nevill* Baronis *Latimer* natum, nonum  
ex hac stirpe Northumbriæ Comitem successo-  
rem habuit.